



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quid sit emendatè loqui. Cap. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

infundat sanctum Spiritum suum, ut cum auditorum fructu loquantur.

Quòd sine Dei auxilio, de Deo nemo potest rectè dicere.

Cap. V.

PRINCIPIUM igitur elocutionis, & totius eloquentiæ Ecclesiasticæ, sumendum est à diuini auxiliij imploratione. Quis enim audeat de Deo, sine Deo dicere? quis de rebus diuinis sine ope diuina tractabit? Quamobrèm sine meditatione, nisi precibus ad Deum adhibitis, Ecclesiasticus orator non audeat ad dicendum assurgere, nè interdum, diuino auxilio destitutus, præclarissimum munus dedecoret. Hortarer etiam, ut nisi sumpto sanctissimo sacramento Eucharistiæ, & celesti pane recreatus, angelicum hoc munus non susciperet; atq; Deum oraret, ut aperiat ei ostium sermonis, ad loquendum mysteria Christi, quod nisi aperiatur, infructuosa futura sit eius oratio. Precibus adiungendum est studium, adiungenda est diligentia, & assidua lectio sacrarum librorum; sine qua qui nobilissimum dicendi munus sibi assumunt, is accidit sæpè, ut in varios errores & in confusionem incidant. Consilio etiam doctorum hominum uti debet, cum potest, ut ea dicat, quæ sunt dicenda; alia in aliud tempus reijciat.

Quid sit emendatè loqui.

Cap. VI.

CAPUT elocutionis est, ut emendatè loquatur orator; solæcismis ac barbarismis auditorum aures non offendat;

foendat; quod quidē per se nihil esset, si interdūm risum
 non moueret, & muneris existimationem non minueret.
 Quare nec essarium est ei, qui dicit ad populum, dare o-
 peram, vt emendatē loquatur; & in ea, in qua natus est
 lingua, se exercens molestas quasdam voces mutet, aut
 corrigat. Caueat tamen, nē propria lingua oblitus, nimitū
 studium in aliena, mutatis vocibus & accentibus, ponat.
 Solet enim plerūq; accidere, vt in eo affectatio appareat.
 Ipse noui homines, magnam eloquentiæ famam consecu-
 tos, qui voces, quas ab incunabulis didicerunt, non repu-
 diarūt, & magni oratores habiti sunt. Copia rerum, ver-
 borum copiā gignit; rectē dicendi sapere est principium;
 & fons; nihil inani verborum strepitu infructuosius, cum
 præsertim de gloria Dei, & de salute animarum agitur.
 Quare cauendum est clericis, nē nimiam in loquendo di-
 ligentiam sectantes, in vanitatis suspicionem incidant; &
 dum sermonis elegantiam studiosē sectantur, obscurio-
 res fiant. nam præclare B. Augustinus inquit: Mâlo vt me
 reprehendant Grammatici, quàm non intelligant popu-
 li; eligens magis in barbarismis, damnantibus Gramma-
 ticis, intelligi, quàm in mea disertitudine, auditores de-
 serere.

De perspicuitate orationis Ecclesiasticæ.

Cap. VII.

ORATIONIS virtus est, perspicuè dicere: quo-
 niam nisi orator ita dicat, vt ab auditoribus intel-
 ligatur, sine dubio nihil vnquā poterit persuadere. Per-
 spicuitas autem in nominum & verborum proprietate
 consistit. quo magis igitur, proprijs vtetur Ecclesiasticus

L 5

orator,